



Fotografía | José Casielles

## ITER CLASSICVM CARTHAGINIENSE

### ANNORVM ORDO | Chronologia brevis de Carthagini Novae urbis origine

**227 a.C.n.** (ante Christum natum) | A Punico duce Hasdrubale Pulchro super portum maritimum vicumque veterem Mastia nuncupatum urbs conditur. Nomen Qart Hadasht (id est 'urbs nova') ei imponunt.

**221 a.C.n.** | Ultor servus Hasdrubalem interficit (occisor quidem prehensus subridere in tormentis dicebatur). Tunc Hannibali, viginti quinque annos nato, summa imperii defertur.

**219 a.C.n.** | Sagunti obsidio. Hoc strenuissimum Iberorum oppidum post longa bella tandem ab Hannibalis copiis expugnatum est.

**218 a.C.n.** | Poenorum exercitus Carthagine Nova in Italiam, Hannibale duce, egreditur. Bellum Punicum Alterum cum populo Romano incipit.

**216 a.C.n.** | Hannibal apud Cannas victor discedit, quae pugna magna clades Romana est.

**209 a.C.n.** | Mirum in modum Carthago Nova a duce Romano P. Cornelio Scipione Africano post sextum diem capitur.

**202 a.C.n.** | Scipio Hannibalis exercitum Zamae funditus evertit una cum Punico Imperio.

**44 a.C.n.** | Urbs Carthaginiensis in Hispania constituta est Colonia Vrbs Iulia Nova Carthago (C.V.I.N.C.). Dehinc Romani urbem gradatim ornabunt: ei iam erat profecto amphitheatrum magnum inde a tempore Rei publicae, sed forum theatrumque ingens struendum ipse Augustus princeps curavit.

### INSIGNES PARIETINAE CARTHAGINIENSES

#### THEATRVM ROMANVM

Theatrum structum inter annos 5 a.C.n. et 1 a.C.n. atque Augusti nepotibus C. Caesari ac L. Caesari dicatum, horum nobilium iuvenum nomina singulis in liminibus marmoreis super aditus aedificii exhibet. Artifices calcariis, marmoreis arenosisque saxis theatri fundamenta eiecerunt. Columnae etiam e travertino rubro Carthaginiensi constitutae sunt, sed opus sculptum tamen e marmore Graeco Pentelici montis Romae caelatum est atque trans mare aevctum. Pendet certe hoc theatrum ab exemplari Vitruvii illius; videlicet: binae series columnarum in fronte scaenico, proscaenium, orchestra ubi dignitates urbis sedebant, ingens cavea apta septem milibus spectatorum excipiendis, porticusque trans scaenam. Pars media cavearum effossa est super collis radices, ut multis in theatris antiquis fieri solebat. Inter res nuper inventas excellent: tres arae orbiculatae Triadi Capitolinae (Iovi, Iunoni,

Minervae) Apollinisque comitatus (Gratiis, Musis, Horis) consecratae, capitella Corinthia in fronte scaenico, sculptura quaedam Apollinis fidibus canentis opusque caelatum Rheae Silviae.

Theatrum Carthaginis Novae usque ad tertium saeculum p. C. n. suo munere functum est. Postea supra rudera vicus mercatorum Byzantinorum (VI saeculo) etiamque Ecclesia Cathedralis Sanctae Mariae Vetus (XIII saeculo) aedificata est. Anno 1988 casu accidit ut inopinate archeologiae studiosi id reperirent. Die 21 Ianuarii anni 1999 Theatrum Romanum Carthaginiense in codicem illorum BIC (Bonorum Utilitatis Culturalis) relatum est.

## MOENIA PVNICA

Saeculo tertio a.C.n. super paeninsulam magno in sinu maritimo conditam Qart Hadasht statim Poeni moenibus cinxerunt. Murus enim in morem Hellenisticum factus est, id est, duplici paramento ex quibus paulo plus quam tria metra stant. Quae prima moenia impetum Romanorum bene sustinuerunt, cum anno 216 a.C.n. fratres Cn. et P. Cornelii Scipiones ea in Altero Bello Punico oppugnarent. Post octavum annum tamen hi muri copiis P. Cornelii Scipionis Africani resistere non valuerunt, itaque Carthago Nova a Romanis expugnata est. Parietinae moenium Poenicorum hodie conspici possunt in museo Hispanice nuncapto Centro de Interpretación de la Muralla Púnica, ubi vestigia huius muri olim introitum paeninsularem tuentis servantur.



Aedificium atrii

## VICVS FORI ROMANI

### DECUMANUS, VIA PRINCIPALIS

Sub hodierna Trium Regum platea (hispanice: Plaza de los Tres Reyes) videnda sunt rudera cuiusdam decumani, qui olim maximus habitus est. Decumanus Maximus vero alibi urbis inventus est. Huic viae saeculo primo munus erat mercatorium quoniam forum ac portum coniungebat. Tamen ea quae conspici hodie possunt, rudera sunt viae sub Diocletiano principe relectae, qui hanc urbem caput provinciae Carthaginiensis creavisset. Etiam vestigia portae imperialis observari possunt, quae tunc temporis ad urbem ex portu accedentibus obstabat.

### THERMAE

Quo decumano itur ad thermas magnas alto Imperio super imam Arcem Hasdrubalis (hodie Calle Honda sub Cerro del Molinete) aedificatas, quae suo munere usque ad quartum saeculum functae una cum decumano in meliorem faciem restitutae sunt. Erant iis aedibus caldarium, frigidarium, sudatorium, palaestraque. Annis volventibus etiam aliis finibus eas adhibuerunt donec saeculo sexto denique desertae sunt. Hac de causa et nummi regni Vandali inventi sunt. Anno 2008, dum locus archeologicus thermarum effodebatur, magna cornucopia marmorea forsan de signo alicuius numinis in palaestra sito seducta reperta est.

### AEDIFICIUM ATRII

In parte orientali thermarum magna domus circum atrium more Tuscanico constructum reperta est. Hoc aedificium – quod sedes cuiusdam collegii fuisse habetur – e duabus tabulatis constabat, quorum conclavia omnia picturis muralibus exornata sunt.

**Autor | Miguel Ángel García Olmo  
Circulus Latinus Murcianus**